VERSICVLVS XXV.

Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.

וַיֵּדַע אָדָם עוֹד אֶת־אִשְׁתּוֹ וַתֵּלֶד בֵּן וַתִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ שֵׁת כִּי שָׁת־לִי אֱלֹהִים זֶרַע אַחֵר תַּחַת הֶבֶל כִּי הָרָגוֹ קָיִן׃

Ἔγνω ὁ Ἀδὰμ Εὔαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ συλλαβοῦσα, ἔτεκεν υἱόν, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ σήθ. λέγουσα, ἐξανέστησε γάρ μοι ὁ θεὸς σπέρμα ἕτερον ἀντὶ Ἄβελ, ὃν ἀπέκτεινε Κάϊν.

QVàm bene Abacuc Propheta cap. 2. dixit, *Si moram fecerit, expecta eum:* nunquid enim indicasset aliquis iustorum Deum oblitum fuisse, postquam scelestissimum Cain, & eius progeniem ita florere permittit, bonos autem opprimi? At verò hactenus impia progenies obtinuit, altissimo deinceps silentio sepelienda; vbi iam pretiosa bonorum generatio nouum habet stipitem in Setho; nec abs re fuit, quòd Moses nobis impiorum posteritatem ob oculos proposuit, vt eorum crudelitatem, sæuitiem, inuidiam, luxuriam, & cætera vitia deuitemus; Itaque linea, quæ per homicidium Abelis intercisa videbatur, in Setho redintegratur; nec mireris, si scriptura non commemoret alios Adami filios, quandoquidem eius propositũ fuit, vt nos lineâ rectâ ad Christum dominum rerum omnium colophonem, & consummatorem perduceret, cuius gratia omnia facta sunt, ad cuius genealogiam cùm alij minimè pertinerent, quid necesse fuit eos commemorare. Quapropter neque velim impendere tempus in plurimis inuestigandis, quæ non ita ad rem facere videntur, qualia sunt: An Adam abstinuerit, an verò generauerit alios ante Seth, post obitum Abelis, quot numero cuiúsue conditionis, de quibus alioquin certi nihil habemus. Græcus habet, συλλαβοῦσα ἔτεκεν υἱόν, *concipiens peperit filium*, at nihil refert, quia satis patet non potuisse parere, quin priùs concepisset. *Peperit ergo Seth*, tanquam nouum semen in quo spes esset, & à quo Messias oriturus esset. Ideo autem filium nomine Seth appellauit, quia Deus ei reddiderat Seth pro Abel: hinc Seth est fundamentum iustorum, & generationum sequentium vsque ad Messiam.

Quem occidit Cain, quæ verba Mosis esse quidam arbitrati sunt: at probabilius est esse Euæ: tametsi vertas cum Hebræo: *quia posuit mihi Deus semen alterum pro Abel: quoniam ipsum occidit Cain.*

Deinceps verò filij Seth recensebuntur, & sancta Christi generatio incipiet: vnde in sequenti versu filius אנוש Enos annumeratur, in quo fragilitas, & miseria, sicut antea in nomine Abel mundi vanitas ob oculos ponitur, vt seriò cogitemus, quàm caduca sint, quàm breuia, quàm fragilia, quàm parui facienda, quæcunque videntur, aut tandem aliquo sensu percipiuntur: Constat autem esse tria nomina hominem significantia, de quibus dictum est Adam, Isch, & Enos.

Cùm autem adeò frequenter hisce loquendi modis & Scriptura, & Catholicæ mulieres filios suos à Deo esse fateantur: & ipsa Eua læta de nouo filio fateatur sibi à Deo positum, seu datum esse, posset hîc aliquis inquirere, num Deus magis ad filiorum, quàm aliarum rerum productionem concurrat: hinc enim sciretur, an magis Dei sint homines, quàm aliæ creaturæ, & an maius in nos, quàm in alias creaturas dominium habeat, & magis ei curæ simus, sed id in aliis locis fieri poterit.

VERSICVLVS XXVI.